

dicandi Euangelii partibus strenue satisfacerent, & praecipue corda ciuium Hierosolymitanorum commouere studerent, vt ex iis compleretur spiritualis militia Christi, ne meritum Christi, seu expiatio peccatorum in iis perdat, ne duplex beneficium, ministerium Iohannis & Messiae eludatur. Hanc excitationem discipulorum Christi, ad praedicandum ex animo euangelium subsequitur deinde adhortatio ad Iudaeos directa, vt percepta Iohannis voce, de complananda Domino via, etiam ad poenitentiam & reformationem mentis suae a Domino auersae se applicent, vt huic concionatori poenitentiae obediant. Falsum itaque est praesuppositum, quo hi interpretes nituntur, qui statuunt, in nostro textu agi de Iudaeis ex carceribus Babylonicis in patriam reuersuris. Nec per nudam saltem accommodationem, sed per sensum litteralem haec dicta sunt de Iohanne Baptista. Non enim de via & semita *populi*, sed *Dei*, Messiae, sermo est. Messiae via paranda imperatur, non populi Iudaici. Accedit expressa Iohannis Baptistae confessio, in persona prima Ioh. I. 23. *Ego sum vox clamantis in deserto, sicut dixit Esaias Propbeta.* Suffragantur omnes Euangelistae, qui etiam de Iohanne explicant, & dicunt, ibi praedictum esse Iohannem. Argumentum & nexus sermonis Esiae, respicit tempora Messiae loquentis inter homines, & manifestantis suam gloriam omni carni; non autem consolationes ob Babylonicam captiuitatem.

Quamuis etiam b. CHEMNITIVS, a paraphraste Chaldaeo, & aliis seductus, aliquid humani passus sit, non tamen hoc imitandum est. Nam si Iohannes, per *possibilem* tantum *accommodationem*, prophetiam pro se allegasset, quae ex veritate, & ex sensu litterali, de liberatione ex captiuitate Babylonica egisset, Sacerdotes & Leuitae statim opponere potuissent, prophetia, ad quam prouocas, iam adimpleta est in exitu ex captiuitate Babylonica, nec ad te atinet. Sed id nunquam salua veritate Iohanni opponi potuit, nec a sacerdotibus & Leuitis oppositum fuit. Absit etiam, vt dicamus, praecursorem Messiae, falso vsum esse testimonio, quo toti Iudaeorum nationi ac Synedrio imposuisset. Iniuria haec sunt in veritatem Christianae religionis, & indigna, vt ab vilo doctore Christiano proferantur. Nullis enim falso allegatis prophetiis, sed veritatis demonstratione praeparatus est Dominus populus, qui a Iohanne instructus & ad Messiam ablegatus fuit. Reliqua futurae cum Deo disputationi reseruamus.

S. D. G.